Animadversio circa historiam amylobactericam.

Scripsit W. Nylander.

Dominum Trécul in Comptes rendus de l'Acad. des sciences 1867, 13, p. 513—521, redeuntem videre licet ad „plantulas" suas vel Amylobacteria, de quibus in Flora 1865, p. 521—525 et 579—580 quaedam attuli et de quibus jam antea specimen academicum exhibuerat D. Trécul in iisdem Comptes rendus 1865, p. 156—160 et p. 432—436. Intra cellulas in plantis phanerogamis nonnullis raris „plantulas" (ut eas ipse nominat) microscopicas, de quibus agitur, invenerat et simul ortum earundem transmutatione ipsius materiei intracellularis in haec vegetabilia deminutiva praedicavit. Examen recentius nihil proprium novum academico parisiensi docuisse videtur; sed e meis observationibus (l. c.) discere potuit:

1°. Amylobacteria perquam vulgaria esse et, quibuscunque fere plantis phanerogamis vulgaribus in aqua immersis, maceratione jam post 4—5 dies oriri tum in cellulis variis, tum in aqua macerationis ambiente.

2°. Amylobacteria mobilitate gaudere et agiliter in aqua vel intra cellulas, ubi obveniunt, circumvehi.

3°. Amylobacteria divisione transversali multiplicari, omnino sicut saepe multiplicantur Infusoria.

4°. Amylobacteria identica esse cum Bacteriis, de quorum natura vera nihil adhuc certi constat atque quae etiam simul (formis communibus) et Vibriones in cellulis putrescentibus haud raro obveniunt.

Omnia haec, sane facillima observatu, miro modo academicum parisiensem fugerant. Tamen post paucarum jam dierum observationes paucisque horis haec cuique patent, nec igitur rite ea observanti opus est hebdomadum nec annorum, sicut ille libenter credere videtur et res varias neglexit, quia praesertim statu non vivo vel iodo necatas conspexerat suas „plantulas."

Circa ea, quae scripsi, „si autem de plantulis autonomis hic agitur, res manet valde dubia, nam propagationis momenta omnino latent", D. Trécul affert „Que M. Nylander n'ait rien observé à cet égard, je le crois sans peine" etc. (Comptes rendus p. 561) et historiam suam de ortu portentoso „plantularum" repetit. Nullam equidem metamorphosin talem granulorum cellu-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05960-0137-4

larium videre valui nec in Amylobacteriis nec in Bacteriis communibus nec in Vibrionibus; neque nimiam fidem habendam puto in ejusmodi transformationem, nam granula, e quibus nuclei „plantularum" formarentur, tantae sunt minutiei, ut observationes eo sensu facile fallaces evadunt. Vitae rationes Bacteriorum ignotae sunt aeque ac propagatio eorum latet normalis vel quodam modo conformis progenerationi entium ceterorum. Non loquor de heterogenesi Tréculeana, quae „plantulis" sola conveniret.

Amylobacteria nunc non nescit academicus parisiensis, esse „quelquefois dotés d'un mouvement de translation", at numne cognitum habet, id characterem quidem sistere Bacteriorum, quae certe non semper motu praedita conspiciuntur? Hoc „quelquefois" scilicet omnino congruentiam designat, praeter notas alias connectentes, quas indicavi, vel transitus et formae et reactionis iodo effectae inter Bacteria varia et Amylobacteria.

Manet dubium, quid sint Bacteria. D. Trécul Amylobacteria tamquam „plantulas" determinans, nihil ad rem explicandam attulit; nomen tale parum continet, nam classis plantularum nondum in scientia recepta fuit. Neque autonomia corpusculorum ejus indolis liquet antequam de loco systematico entium, ad quae pertinent vel quae referunt, dubia tolluntur. Academicus parisiensis censet Amylobacteria ob heterogenesin et mobilitatem „doivent être considérés comme êtres particuliers." Mittamus heterogenesin; at quid frequentius quam elementa anatomica mobilia? Dixi antea: „nescimus quid sint Bacteria, an Infusoriis adnumeranda sint aut an elementa initialia efficiant vegetabilium infimorum." Possint exempli gratia, si non essent infusoria, sporas vel elementa spermatica sistere, divisione sese multiplicantia, quod analogiis non careret, nec mirifica origine egerent, quam iis attribuere vult academicus parisiensis heterogenesi deditus.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05960-0138-0

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1868

Band/Volume: 51

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Animadversio circa historiam amylobactericam 135-136